

Benedetto Ippolito

Università degli Studi Roma Tre/Pontificia Università della Santa Croce

benedetto.ippolito@uniroma3.it

L'ANALOGIA DI PROPORZIONALITÀ.

GAETANO LETTORE DI TOMMASO.

- IL REALISMO UNIVERSALE
- CONFUSIONE, EQUIVOCITÀ E ANALOGIA
- UNIVOCITÀ
- LOGICA E ONTOLOGIA
- LA DOPPIA ANALOGIA
- CONTRO L'UNIVOCISMO SCOTISTA
- NATURALE E SOPRANNATURALE
- IL MISTERO DEL CREDERE

Thomas De Vio Caietanus

Testi

IL REALISMO UNIVERSALE

1. “Si quaeratur, de vocibus an de rebus principaliter hic tractetur, respondendum est quod de rebus non absolute sed incomplexis conceptis et consequenti necessitate significatis”.

In Praedicamenta Aristotelis, Praefatio.

2. “Et quum res incomplexae non adunantur et distinguuntur cum conditionibus, quas habent in rerum natura, sed ut sic acceptae per intellectum, id est ut stant sub simplici apprehensione intellectus, id est ut obiectae simplici apprehensioni intellectus, et res sic acceptae nihil aliud sunt quam res dictae verbis interioribus, vel (quod idem est) quam res conceptae conceptibus simplicibus, et res huiusmodi nihil aliud sunt quam res significatae vocibus incomplexis, quando voces sunt signa conceptuum et conceptus rerum...”.

In Praedicamenta Aristotelis, Praefatio.

CONFUSIONE, EQUIVOCITÀ E ANALOGIA

3. “Prima cognitio confusa est, qua cognoscitur ut totum diffinibile, non resolvendo in partes diffinitivas. Secunda cognitio confusa est, qua cognoscitur ut totum universale non componendo ipsum cum partibus subjectivis”.

In De ente et essentia, Q. 1.

4. “Ly "diversa" non coartatur ad diversitatem simpliciter, sed communiter accipitur, et comprehendit sub se diversitatem simpliciter, vel secundum quid, totaliter vel partialiter: ita quod aequivoca dicuntur, et illa quorum ratio secundum illud nomen commune est penitus diversa; et illa, quorum ratio secundum illud nomen commune est aliquo modo diversa. Et propter hoc cave ne dixeris hic esse diffinita tantum pure aequivoca, quae alio vocabulo dicuntur aequivoca a casu, sed dicito aequivoca in communi, ut comprehendunt analogia, quae aequivoca a consilio sunt, et pure aequivoca diffiniri, et quod pure aequivocis convenit habere rationem substantiae diversam penitus analogis vero diversam aliquo modo. Suadetur autem hanc esse mentem Aristotelis, tum ex exemplo subiuncto, quoniam homo verus et homo pictus, modo pure dicuntur animal sed aequivocatione a concilio seu analogice, ut patet ex rationibus eorum secundum illud nomen: quoniam non sunt penitus diversae, sed aliquo modo eadem. Quaerenti enim quid est homo, secundum quod animal respondetur, quod est substantia animata sensibilis. Quaerenti autem quid est homo pictus secundum quod animal

respondetur quod est imago substantiae animatae sensibilis, ubi expresse apparet rationes non esse penitus, sed aliquo modo diversas. Tum ex intentione operis, quoniam [...] intendit diffinire hic res, ut adunantur sub vocibus transcendentibus, quas constat non pure aequivocas, sed analogas esse. Quot autem modis contingat variari analogiam et quomodo, nunc quoniam summarie loquimur, silentio pertransibimus: specialem de hoc tractatum si Deo placuerit cito confecturi”.

In Praedicamenta Aristotelis, C. 1.

5. “Aequivoca enim multipliciter inveniuntur. Quaedam enim sunt, quorum nomen est commune, et ratio secundum illud nomen est diversa totaliter: et haec vocantur pure aequivoca: et de his loquitur littera haec. Quaedam vero sunt, quorum nomen est commune, et ratio secundum illud nomen est diversa secundum aliquid: et haec multis modis inveniuntur, comprehenduntque sub se analogas, ut alibi ostendimus”.

In Summam Teologicam, I, Q. 13, A. 5, XII.

6. “In aequivocis namque rationes illae, puta canis marini et terrestris, sunt omnino diversae secundum rationem; et propter hoc id quod praedicat canis de marino cane, nullo modo praedicat de terrestri, et e converso; et ideo sola voce communius aut maius aequivocatis dicitur et est.

In analogis autem res analogiam fundantes (puta quantitas ut sic se habens ad esse, et substantia ut sic se habens ad esse), licet diversae sint et numero

et specie et genere; ratione tamen eadem sunt non omnino, sed proportionaliter; quoniam unius ratio proportionaliter eadem est alteri”.

De nominum analogia, VI, 63-65.

UNIVOCITÀ

7. “In univocis vero res illae, puta animalitatis in bove et animalitatis in leone, licet et numero et specie diversae sint, ratione tamen omnino eadem sunt; ratio enim unius est omnino eadem quod ratio alterius, et, e converso; et propter hoc id quidem quod praedicat animal de homine, idem praedicat omnino de bove, et univocum dicitur et superius homine, leone boveque”.

De nominum analogia, VI, 64.

8. “Tota ista diffinitio intelligenda est sicut praecedens, excepta ultima particula. Est siquidem duplex univocum, scilicet univocans, univocatum. Et de univocatis est modo sermo: et in numero plurali, sicut superius exposuimus. Ultima autem particula (scilicet eadem) non dicit identitatem simpliciter, vel secundum quid. Sed identitatem simpliciter, ita quod licet ad aequivocationem sufficiat, qualiscumque diversitas rationis secundum illud nomen, ad univocationem tamen non sufficit qualiscumque identitas rationis secundum illud nomen, sed exigitur quod ratio univocatorum, quae attenditur penes illud nomen, in quo univocatur, sit totaliter eadem, et nihil plus aut minus includat unum, quam reliquum in ratione illius nominis”.

In Praedicamenta Aristotelis, C. 2.

LOGICA E ONTOLOGIA

9. “Et quia in nominibus tria inveniuntur, scilicet vox, conceptus in anima, et res extra, seu conceptus obiectivus: ideo singula perlustrando, dicendum est, quomodo analogum ab analogatis distinguatur”.

De nominum analogia, IV, 31.

10. “Ens significat unum conceptum formalem communem in repraesentando substantiae et accidenti, Deo et creaturae. Secunda est ista: Ens significat ut conceptum objectalem aliquid reale inventum in omnibus generibus distinctum secundum rationem a propriis conceptibus objectalibus omnium generum, nullum gradum supra naturas genericas, specificas et individuales exprimens.

Conceptus est duplex: formalis et objectalis. Conceptus formalis est idolum quoddam quod intellectus possibilis format in seipso repraesentativum objectaliter rei intellectae: quod a philosophis vocatur intentio seu conceptus, a theologis vero verbum. Conceptus autem objectalis est res per conceptum formalem repraesentata in illo terminans actum intelligendi, verbi gratia: conceptus formalis leonis est imago illa quam intellectus possibilis format de quiditate leonina, cum vult ipsam intelligere; conceptus vero objectalis ejusdem est natura ipsa leonina repraesentata et intellecta [...] significat enim leonis nomen conceptum utrumque, licet diversimode, est namque signum conceptus formalis ut medii, seu quo, et est signum

conceptus objectalis, ut ultimi seu quod. Unde idem est loqui de conceptu entis et de significatione ejus”.

In De ente et essentia, Q. II.

11. “Ens secundum perfectum adæquatumque conceptum, non abstrahit a naturis prædicamentalibus, sicut nec aliquod analogum a fundantibus analogiam”.

De conceptu entis, 9.

LA DOPPIA ANALOGIA

12. “Nota secundo quod duplicia sunt analogata: quaedam secundum determinatam habitudinem unius ad alterum; quaedam secundum proportionalitatem. Exemplum: Substantia et accidens sunt analogata primo modo sub ente; Deus autem et creatura secundo modo: infinita enim est distantia inter Deum et creaturam. Differunt autem haec plurimum: quoniam analogata primo modo ita se habent, quod posterius secundum nomen analogum diffinitur per suum prius: puta accidens, inquantum ens per substantiam. Analogata vero secundo modo non: creatura enim inquantum ens non diffinitur per Deum”.

“Unde analogata primo modo habent nomen commune, et rationem secundum illud nomen secundum quid eadem et secundum quid diversam: per hoc quod analogum illud simpliciter, id est sine additione aliqua, de primo dicitur, et de aliis vero non nisi diversimode respiciendo primum, quod cadit in eorum rationibus sicut in exemplo de sano manifestum est: analogata vero secundo modo habent nomen commune et rationem secundum illud nomen aliquo modo eadem et aliquo modo diversam: non propter hoc, quod illud simpliciter dicatur de primo et de aliis relative ad primum, sed habent rationem eadem secundum quid propter identitatem proportionis, quae in eis invenitur, et secundum quid diversam, propter diversitatem naturarum suppositarum illius proportionibus.

Exemplum: Forma et materia substantialis et forma et materia accidentium sunt analogata quaedam sub nominibus formae et materiae: habent enim nomen commune, puta formam et materiam, et rationem secundum nomen

formae sive materiae eandem et diversam hoc modo, quia forma substantialis ita se habet ad substantiam, sicut forma accidentalis ad accidens; similiter materia substantiae ita se habet ad substantiam, sicut materia accidentis ad accidens: utrobique enim salvatur identitas proportionum cum diversitate naturarum et unitate nominis”.

In De ente et essentia, Q. III.

NATURALE E SOPRANNATURALE

13. “Ordo eorum quae ratione naturali comprehenduntur, subest ordini eorum quae supra naturalem sunt rationem: et consequenter Deus ipse, ut finis est supernaturalium, induit rationem ultimi totaliter finis. Et propterea in littera dicitur quod ipse Deus est ultimus rerum finis, prout nostrae rationis cognitionem excedit. Oportet igitur, te cogitare quod totum universum ex naturalibus et ex supernaturalibus unum quoddam sit; et quod Deus ut finis naturalium, est quidem ultimus finis, non simpliciter, sed respectu horum; ut autem est finis supernaturalium, sic est ultimus totaliter finis rerum”.

In Summam Theologicam, I-II, Q. 62, A. 2.

14. “Omnia enim fere analogia proprie, prius fuerunt univoca, et deinde extensione, analogia communia proportionaliter illis quibus sunt univoca et aliis vel alii, facta sunt. Sapientiae enim nomen primo impositum est humanae sapientiae, et univocum omnium hominum sapientiis erat. Deinde, ad divinae naturae cognitionem ascendentes, proportionalemque similitudinem inter nos ut sapientes et Deum contemplantes, sapientiae nomen extenderunt ad id in Deo significandum, cui nostra sapientia proportionalis est; sicque univocum nobis, analogum factum est nobis et Deo”.

De nominum analogia, XI, 115.

15. “Scito quod creatura rationalis potest dupliciter considerari: uno modo absolute, alio modo ut ordinata est ad felicitatem. Si primo modo consideretur, sic naturale eius desiderium non se extendit ultra naturae facultatem: et sic concedo quod non naturaliter desiderat visionem Dei in se absolute. Si vero secundo modo consideretur, sic naturaliter desiderat visionem Dei: quia, ut sic, novit quosdam effectus, puta gratiae et gloriae, quorum causa est Deus, ut Deus est in se absolute, non ut universale agens. Notis autem effectibus, naturale est cuilibet intellectuali desiderare notitiam causae. Et propterea desiderium visionis divinae, etsi non sit naturale intellectui creato absolute, est tamen naturale ei, supposita revelatione talium effectuum”.

In Summam theologiam, I, Q. 12, a. 1, X.

16. “Potentia animae ad gratiam quandoque naturalis, quandoque non naturalis, sed obediens aut supernaturalis vocatur. Simpliciter autem non est naturalis: quoniam ad res supremi ordinis est”.

In Summam theologiam, I-II, Q. 113, A. 10, V.

17. “Theologus siquidem, cuius obiectum est Deus, et hominem bonum constituit solum in ordine ad finem ultimum simpliciter, qui est obiectum caritatis, distinguendo dicit quod perfectio virtutis est duplex, in genere et simpliciter; et quod sine caritate et fide etiam sunt virtutes perfectae in genere, sed non simpliciter.

Philosophus autem, qui hominem bonum constituit in ordine ad ultimum finem naturalem, nec superiorem novit finem, virtutes humanas sine fide et caritate veras et perfectas virtutes simpliciter dicit.

Nec propterea contradicunt: sed imperfecta notitia philosophiae de hominis bonitate in causa est. Quod enim philosophus vocat perfectum simpliciter, quia non est eius altiorem finem considerare, theologus vocat perfectum in genere et imperfectum simpliciter, quia eius est altiorem finem considerare”.

In Summam theologiam, II-II, Q. 23, A. 7, I.

CONTRO L'UNIVOCISMO SCOTISTA

18. “Circa hanc partem, est advertendum quod Scotus, in I qu. Prologi Primi Sententiarum, nec a conclusione nec a ratione discordat: sed a causa quare finis ille est nobis naturaliter occultus. Nos enim dicimus quod ideo finis ille est nobis naturaliter occultus, quia est supernaturalis finis animae nostrae: et propterea, quantumcumque perfecte nota esset nobis natura nostrae animae quoad naturalia, nunquam cognosceretur sub ratione qua ordinatur in talem finem; quia extra naturalium latitudinem est tam finis quam illa animae ratio. Ipse vero tenet illum finem esse naturalem nostrae animae, quamvis supernaturaliter adipiscendum. Et tamen esse naturaliter incognitum: quia anima nostra non nobis naturaliter est nota, saltem pro statu isto, sub illa propria et speciali ratione, qua ordinatur ad illum finem”.

In Summam theologicam, I, Q. 1, a. 1, VII.

IL MISTERO DEL CREDERE

19. “Respondeo me scire quod verum vero non est contrarium, sed nescire haec iungere, sicut nescio mysterium Trinitatis, sicut nescio animam immortalem, sicut nescio Verbum caro factum est, et similia, quae tamen omnia credo. Et sicut credo reliqua fidei mysteria, ita credo et haec mysteria predestinationis et reprobationis. Meum est tenere quod mihi certum est (scilicet uti libero arbitrio et reliquis bonis mihi a Deo concessis omni studio ad consequendam vitam aeternam) et expectare ut videam, in patria mysterium divinae electionis mihi modo ignotum, sicut et reliqua fidei mysteria. Haec ignorantia quietat intellectum meum”.

In Epistolam ad Romanos, C. IX, F. 58.